STATUTA
Facultatis Juridicæ post conflagrationem Collegii Ejusdem AD. 1719 subsecutam
ex
mente totius Universitatis Cracoviensis
per
Decanum ac Doctores Eandem Facultatem Regente
CONSCRIPTA

PROPHASIS
Ad
STATUTA FACULTATIS IURIDICÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS STUDIJ GENERALIS

Animam corpori, Reipublicæ et cuicunq; communitati statuta ac leges necessarias esse nemo est, qui ambigat. Anima instar Reginæ in proprio Regno præest, corpori imperat et

jubet lex in Republica hoc idem operatur. Imperat honesta, prohibet contraria l. nam et Demosthenes de Legib. Tollat, qui potest, animâ de corpore, ipsum sustulit corpus, amoveat à Republica leges, omnem ejus evertit statum, sine quibus (si Cicer. Lib. 3. de Legibus dabitur fides) nulla domus, nulla Civitas, nulla gens, imo nec ipse mundus consistere potest. Ut igitur et nostra Facultas Juridica, Deo propitio, diu feliciterq; consistat, Leges seu statuta (quæ sunt donum Dei. d. l. nam et Demosthenes)

sequentia inhærendo l.
3. C. de Legib. inviolabi
liter observabit illis uti
liter latis, parendo d. l.
nam et Demosthenes
sacrosanctè obedict,
secundùm eas vivet
nec in quopiam earum
tenorem violabit. Re
um quippe ante con
spectum Divini Iu
dicis se noverit es
se, qui nititur utili
ter definita rescinde
re ac roborata quo
libet ausu violare
can. Loci nostri. 35.
q. 9.

STATUTUM 1.

De tempore et modo electionis Decani Facultatis.

Quemadmodum in apibus princeps unus est, grues unam sequuntur ordine literario. can. In apibus. 7. q. 1. ita in Facultate Nostra Juridica unus debet esse Decanus, qui praedictam Facultatem regat, quolibet anno Sabbato ante Festum S. Galli ex Doctoribus duntaxat ejusdem Facultatis per descensum, ac finito turno per ascensum, extradita ad hoc in scripto per antecedaneum Decanum Convocatione, ac vocatis pro illa vocandis Doctoribus et Professoribus, non tamen ultra horam in Convocatione extradita praefixam expectandis, eligen-

dus. Electionem enim non impedit absentia eorum, qui vocati ad electionem non accedunt. c. Quod sicut. de Election.

Forma Convocationis ad eligendum Decanum

Admodùm Rnde Pater Clariſſime Domine Doctor et Pfr Excellentſme. adeſſe velit dignitas Veſtra hodie horâ primâ pomeridiana in hypocauſto communi Collegij Iuridici, dum ſignum pulſu campanæ datum fuerit ad eligendu D. Decanum pro toto et integro Anno Facultatis Iuridicæ, tum ad accipiendas Lectiones et horas pro inſtanti Commutatione hyberna. Dat in Collegio Iuridico die

Mense Anno Dñi Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Primo Detur omnibus et singulis Adm. Reverendis Patribus Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusq; Iuris Facultatem duntaxat Iuridicam constituentibus Ex parte Decani Facultatis Iuridicæ sub pœna non contradicendi

STATUTUM II.

De libera electione Decani Facultatis

Quia eligere, est unum ex pluribus voluntariè assumere. Abb. in c. 14 n. 1. de Elect. et ibi non potest dici electio ubi non est voluntas libera eligendi c. ubi periculum §. Cæterum e. t. in 6. ideo in electione Decani Facultatis Iuridicæ sit omnis in votando libertas tam Doctorum, quàm Professorum, unus

alterum non præpediat, nec in voto, sine petita priùs et obtenta venia præveniat, sed ordine debito omnia perागantur. Ubi enim ordo non est, ibi confusio, ac ex his, quæ inordinatè acta sunt, non potest ordinabiliter quidquam agi. c. 17. de accusationib.

STATUTUM III.

De Qualitatibus Decani Facultatis

Ut Electio sit valida, debet fieri de illo, qui non habeat defectum et impedimentum ad exercendam dignitatè, ad quam eligitur. c. un. de Postulat. Prælat. in 6. Propterea in Facultate nostra Juridica in Decanum eligi non debet, qui est Censuris Ecclesiasticis innodatus, vel aliqua infamia

facti aut juris notatus ac ille, qui non sit actu laborans, nisi sit in ante per Universitatem dispensatus. Facta enim de tali electio; cùm sit facta de inhabili, non tenet. c. Innotuit. de Elect. et postulat.

STATUTUM IV.

De pœna eligentium inhabilem

Dignum et justum est, ut in eo quis puniatur, in quo visus est deliquisse. c. Inter dilectos. ad fin. de Excess. Prælator. ideo si quis in electione Decani Facultatis Juridicæ, vel non actu laborantem ac per Universitatem non dispensatum, aut Censuris Ecclesiasticis innodatum, vel ùt præmissum est infamia juris, vel facti notatum proponere, eundem manutenere et alios, quos turnus tangit, prolixior labor, vel fama

præstantior commendat malitiosè poster-
gare vellet, illius votum in illa electione sit
nullum. Quod si hoc idem in alia electi-
one facere voluerit, et hujus, et in anno
sequenti electionis futuræ incapax ef-
ficiatur. Malitijs enim prout possibile
est circa electionem viâ præcludi debet.
c. Ut circa electiones. de Elect. et postu-
lat in 6.

STATUTUM V.
De Confirmatione et loco Deca-
ni electi.

Sicut per electionem consequitur
quis jus administrandi in habitu, i-
ta per confirmationem hocce jus con-
sequitur in actu. gloss. in can. Quanto
q. Relatio. dist. 63. ideo statuitur, ut
ritè et legitimè electus Decanus, sta-

tim, ipsô factô pro Confirmato habeatur, locum priorem, data priùs stipulata manu vim juramenti habente antecedanco Decano de fideli introspectione ad lecturas Doctorum et Professorum, tum connotatione laborum eorundem, in convocatione occupet, eundem semper in actibus Facultatis habeat et onera officium Decani concernentia pro honore suo et Facultatis æquanimiter supportet more suorum antecedancorum Decanorum. Rationi namq congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore c. Rationi. de Reg. Jur. in 6.

STATUTUM VI.

De Officio Decani diligenter obeundo

Quandoquidem negligentia omnia

omnia lædat. Authen. de quæstor. Collat.
6. §. Hæc omnia. et ibi gloss. v. Ab universa.
et quilibet negligens ex sua negligentia te-
neatur c. Si bos. de Injur. ideò ne Clarissi-
mo Decano Facultatis Juridicæ aliorum
negligentia imputetur, et ne ipse de illa te-
neatur; in suo Officio debet esse diligens
ac alijs Clarissimis Doctoribus et Pro-
fessoribus ad laborem præcundo, illorum
diligentias et negligentias, ex vi et nexu
præstiti juramenti, observet, observatas et
Lectionibus, quas suo Decanatu prælegerint, in Libro Decanali fideliter, tum
in alio Libro Promotorum pro Doctoratu
Utriusq; Juris, tam intraneorum, quàm
extraneorum nomina et cognomina cu-
pleno eorum titulo ac punctorum ex Utro-

Iure per ipsos sub tempus examinis deci:
sorum expressione, tum à quo præsentati, per
quem ac in quorum saltim principalium =
præsentia fuerint promoti, diligenter conno:
tet, atq; sic connotatos in Conuocatione ele:
ctionis alterius Decani præsentet et in esse:
ctu cum sigillo Facultatis, Statutis præ:
sentibus ac alijs munimentis eidem ele:
cto Decano sub pœna trium marcarum:
reddat. Ubi enim est noxa, ibi debet esse et
pœna l. Sancimus. C. de Pœn. quæ suos re:
gularitèr tenet Authores. c. Quæsivit. de
His quæ fiunt à major. part.

STATUTUM VII
De Qualitate Professoris ad Col:
legium vocandi

Cùm discere quisq; priùs debeat, ante:

quam alios doceat. can. Non negamus. dist. 61. ideo inhærendo Statuto Universitatis de electione Collegiatorum et vocatione eorundem ad Collegia nuper conscripto et Libro Statutorum inserto; nullum ad Collegium Juridicum vocari debere Professorem, nisi illum, qui in lectura juris benè exercitatus fuerit, Lectionesq; Juridicas omnes et singulas diligenter sub Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusq; Juris exaudiverit, ac super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit illudq; cum Lectionibus exauditis Clarissimo Facultatis Juridicæ Decano pro tempore existenti ante vocationem sui ad Collegium produxerit. Absurdum enim foret aliquem priùs velle docere,

quàm discere. can. Si officia. dist. 59.

STATUTUM VIII
De recommendatione Professoris vocandi

Quamvis Professorum ad Collegium Juridicum vocatio ex antiqua praxi et consuetudine ad totam Universitatem pertineat; tamen Præpositus Collegij pro tempore existens, inhærendo antiquo usui et praxi rationabili ac Conclusioni per Universitatem in Anno 1714. latæ et Libro antiquo Conclusionum insertæ, occurrente vocatione loci et Professionis, habito prius cum CC. DD. Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professorem actu laborantem Domui et Facul:

tati proficuum Universitati præsentet, Universitasq̃ hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem vocet, ac à violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis abstineat. Quæ enim per vim fiunt, carere debent robore firmitatis. c. ad audientiam. de Iis quæ vi metusve causa fiunt.

STATUTUM IX.

De Examine Professoris vocati

Vocatus sic, ùt præmissum est, ad Collegium Professor, antequam illud ingrediatur et possessionem Cathedræ adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini CC. DD. Doctorũ actu Collegium inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendũ

exhibeat. Idoneis enim Magistris non est denegenda licentia docendi, aliàs hoc ipso de negaretur doctrina ignorantibus. c. Quoniam et ibi glos v. Qui sit idoneus. de Magistris.

STATUTUM X.

De Disputatione vel Principiatura ante Ingressum Emittens

Professor ad Collegium vocatus licet si per examen privatum vires quid valeant, humeri quid ferre recusent, probaverit, ad Cathedram nihil-ominus et Professionem fidei sub pœna superioribûs immediatè statutîs descripta, admitti non debet, nisi priùs publicam Disputationem ex Utroq; Jure desumptam, Typis impressam et per Clarissimum Decanum Facultatis Juridicæ pro tunc existentem approbatam expedivit, aut hac de speciali favore et consensu

OC. DD. actu Collegium Iuridicum inhabi:
tantium Doctorum et Professorum ad certum
tempus ex aliqua causa rationabili dilata,
se per Principaturam ad possessionem Ca:
thedræ admitti petierit. Qui enim honorem
Cathedræ assequi desiderat, necesse est, ut
vires suas cum hoc, quod subiturus est, one
re metiatur. can. Non est putanda. 1. q. 1.

STATUTUM XI

De Tempore invitationis Docto:rum et Professorum pro actu Responsionis et requisitis ad invitationem

Quandoquidem laborantibus profi:
cui debeant esse labores, ad quos ala:
criùs suscipiendos, quoniam spes præ:
mij invitare soleat. Menoch. Cons. 390.

n. 43. et Lib. 1. de Præsumpt. fin. n. 1 ideò CC. DD. Doctores et Professores per respon: surum pro Collegio Professorem triduò ante responsionem pro Disputatione invitentur et unicuiq; Quæstio Typis impressa of: ficiosè ad manus in propria ejus residentia reddatur, ac inhærendo antiquæ consuetudi: ni unicuiq; Clarissimo Doctori, in vim laboris, quem in disputando subiturus est, Aureus: Ungaricalis unus, Professori verò Imperia: lis unus idq; circa invitationem pro dispu: tatione; jam autem Clarissimo Facultatis Juridicæ Decano circa approbatione Quæstionis duo aurei Ungaricales sub: non admissione ad responsionem reponan: tur Æquum enim est, laborem cujusq: digna remuneratione compensari. c. Cùm

secundum. de Præben. et dignit. et l. fin. §. simi
liter C. de Alluvionib.

STATUTUM XII
De lucundo Ingressu Professoris ad Collegium

Siquidem sacrîs Literîs, Proverbior. 15.
ver. 13. 17. ver. 22. et 25 ver. 20. sacrîs cano:
nibûs. can. Convivia et seqq. dist 44. et pu:
blicis legibus C. de Public. lætit. animi ex:
hilaratio, cibi et potûs sumptio, maximè
si sit moderata et causam honestam habe:
at, non improbetur; ideo Statutô præsenti
Clarissimus Professor propter successum:
et exitum secundum Principiatura vel:
Responsionis suæ pro Collegio ab apposi
tione portionis in vim jucundi ingressus ñ
arcetur, quinimo penes consuetudinem im:

memorabilem ac in legem tractam suamq̃ hac in parte alacritatem et generositatem conservatur. Inquit enim Greg. Nazian. de Beatitud. fol. 31. Beatus cui ob res ad faciendum propositas lætari placere et exultare licet.

STATUTUM XIII.

De Admissione Professoris ad Collegium et solutione Ingressus

Quoniam ad Cathedram admisso Professori, ea quæ Cathedram sequuntur negari non debent. Ad concessionem enim unius expressè, videntur tacitè concessa illa, sine quibus concessio expressa esset inutilis. a. lex. de Imol. in Summ l. 2. ff de Jurisdi. omn. Judic. ideo statuimus, ut Professor per Convocationem Domûs ad hoc etiam extraordinariè institutam, petitione priùs competenti

facta, ad vocem activam et passivam habita:
tionem, participationem de mensa, dismembra
tiones et alias quascunq; obventiones ac proven:
tus Collegas Iuridicos concernentes, repositis:
priùs sub pœna in Statuto Domûs XI. et Fa:
cultatis VIII. expressa, ad manus Præpositi pro
tempore existentis ratione Ingressus florenis
Polonicalibûs Trecentis inter Collegas actua:
les, non computato Ingrediente, dismembran:
dis, admittatur. Qui enim ex participatione
de proventibus Collegij sperat commodum,
æquum est, ut per solutionem Ingressus pa:
tiatur incommodum. arg. c. Qui sentit.
de Regul. Iur. in 6.

STATUTUM XIV
De Iuramento per Ingredientem Professorem præstando

Iustitiæ et rationis ordo suadet, ut qui sua à

successoribus desiderat servari, proculdubio antecessorum suorum statuta custodire et observare tenetur. can. Justitiæ 25. q. 1. Ideo Clarissimus Professor hocce Collegium ingrediens antequam ad illud et ejus privilegia ac emolumenta admittatur, super Statutis Collegij ac etiam Facultatis omnibus et singulis servandis, secretis non revelandis et bono Collegij ac Facultatis promovendo, stipulatam manum, quæ vim juramenti habebit, Clarissimo Domino Collegæ pro tunc Convocationi præsidenti sub pœna non admissionis ad Collegium dare debet. Id enim, quod contra bonos mores non injungitur, pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est. can. Illa autem. dist. 12.

STATUTUM XV.

De Seniore ad Contuberniu Jurisperitorum vocando.

Quandoquidem privilegio Reverendissimi

olim Ioannis Konarski, Episcopi Cracovi:
ensis, Die prima Mensis Iunij 1519. in Sta:
tuto Universitatis Rectoratu Magnifici
olim Ioannis de Pilca Die 24 Mensis Au:
gusti 1491. formato praescriptum sit, ut Se:
nior Bursa Iuristarum inter alios, cùm lo:
cus vacat in Collegio, prior ad vocandum de:
beat esse; ideo statuimus et Perillustrem ex
Collegio nostro Iuridico Ecclesiae Cathedralis
Crac. Canonicum, uti et tanquam dictae Bur:
sae Provisorem natum, hoc Statuto obligatũ
haberi conamur, quemadmodum obligamus,
quatenus vacante senioratũs praefatae Bur:
sae Professione, virum talem per Universi:
tatem eligendum proponat, qui in Utroq; Iu:
re per exauditas Lectiones exercitatus fu:
erit et examen post vocationem sui ad Bur:
sam seu Contubernium, coram CC. Doctori,

bus Iuridicum Collegium inhabitantibus ante Principiaturam more Collegarum vocatorum (ut supra præmissum est:) sub nullitate sua ad Contubernium vocationis subire: sit adstrictus. Quæ enim ad perpetuam utilitatem instituta sunt nulla debent immutatione variari. can. Quæ ad perpetuam. 25. q. 1.

STATUTUM XVI.

De Tempore lecturæ D. Senioris Bursæ Iurisperitorum et non usurpatione eorum, quæ spectant ad formales Collegas Iuridicos.

Quanquam Senior Contubernij Iurisperitorum gratiâ prælegendæ Lectionis Regularum Iuris diebus Sabbativis, Pervigiliorum ac silentij tempore ad Cathedram A. Professorum Iuris secundùm antiquam praxim et consuetudinem admittatur et

à Professione, ad quam vocatus est, Professor: Utriusq; Juris intituletur; tamen ad Actus Collegas Actuales Juridicos concernentes, utpote præsentationes Doctorandorum, Convocationes Domûs et his similia formalibus Collegis præjudicium quodcunq; et quomodocunq; inferentia (nisi id de consensu omnium fiat) se ingerere non debet idq; more antecedaneorum suorum præfati Contubernij Seniorum. In jus enim ipsorum successit, jure illorum uti debet. l. Qui in jus. ff. de Regul. Juris.

STATUTUM XVII.

De Officio Professorum.

Quoniam uniuscujusq; ac præcipuè publici Professoris ex informatione l. Atilius Regulus. ff. de Donationib Officium in diligentia et eloquentia consistat, ac qui

se alias docere promisit in fundamento glos. can. Ponderet. v. Docuit. dist 50. Deo se fecit obligatum, ideo ne in conscientia oneretur et Deo rationem in tremendo ejus judicio suo tempore de sua Professione reddat; imparatus Cathedram non ascendat, ad ea, quæ in publico Discipulis suis dicturus est, domi se diligenter præparet, in dubijs, aut alios, aut mutos Magistros Libros consulat et ex Cathedra inhærendo can. oportet c. q. 1. ad captum congregati pro Lectione sua auditoris clarè et dilucidè eloquatur, ac omnes difficultates suæ Lectionis per explicationem enucleare studeat et sub onere conscientiæ teneatur. Discipulis enim in ea arte, cui student, nihil debent habere absconditum, ut Oratores maximi, justitiæ satellites et judiciorum optimi

tam Athletæ, quàm Gubernatores omni lo-
co ævoq; felices inveniantur: §. Et quod jam.
v. Discipuli. in Proœm. ff. in fin.

STATUTUM XVIII.

De Obligationibus eorundem Professorum.

Ex quo aliquis suscepit unum connexo-
rum, videtur per gloss. c. Cum in cunctis. §.
Inferiora. v. Removeantur. de Elect. et elect.
potest. ad reliquum se obligasse; ideo quili-
bet Professor ad Collegium vocatus, facta
pro illo responsione et expeditis (ut supra
præmissum est:) de jure et consuetudine ex-
pediendis, ac susceptâ aliquâ Professione
ne inutiliter inter alios Comprofessores to-
leretur et ut suam, quam nactus est sparta-
re ipsa et non ad Colorem tantùm adornet,
ritèq; ac legitimè salarium de sua Professi-

one prætendat et percipiat, ad sufferenda præmemorata et infra scripta onera, quæ unaquæq; Professio requirit, obligatur, et Statuto præsenti sub pœna amissionis Professionis una cum Collegiatura, præmissâ nihilominus trinâ canonicâ monitione, adstringitur. Ferendus enim non est, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. l. un. §. Pro secundo. in fin. C. de Caduc. tollen.

STATUTUM XIX.

De Professore Regularum Iuris.

Cùm leges sacratissimæ, quæ constringunt omnium hominum vitas, ab omnibus (minores, milites et mulieres per l. Regula est. ff. de Iuris et facti ignoran. si excipiamus) ex dispositione l. Leges sacratissimæ C. de Legib. et constit. Princip. sciri et intelligi debent; ideò Regulæ Iuris, quæ compendiosam

plurium rerum narrationem ad cogniti:
onem earundem perfectam rectè ducant
nec aliorsum jux. can. Regula. dist. 3.
trahant, in hac Facultate Juridica in:
stitutæ sunt, ac ad easdem prælegendas
Carissimus Contubernij Jurisperitorum
Senior pro tempore existens obligatus
et adstrictus est. Qui ut suæ obligationi
et Professioni satisfaciat, prædictas Re:
gulas Juris tam ex Jure Canonico
quàm Civili ordine depromptas, diebus
Sabbativis Pervigiliorum ac eo tempore,
quo aliæ Juridicæ Lectiones vacant, exce:
ptis diebûs feriatis, juxta privilegium Fri
derici Cardinalis 1497. Die 8va Men:
sis Junij et Joannis Konarski Episcopo:
rum Cracoviensium 1515. Die 1ma e:
jusdem Mensis Junij diligenter et cum

et cum profectu studentium prælegere ac eisdem ampliationes, Limitationes et Exceptiones adjungere tenetur. Nulla enim Regula tam firma est, quæ non patiatur aliquam exceptionem. arg. l. Illud relatum. §. Sanè sunt, ff. de Injur. et l. fin. C. In quib. causis in integr. restit. necessaria non est

STATUTUM XX.

De Professore Iustinianeo.

Quia honor est Magistro bonos habere Scholares. gloss. in Proœm. ff. §. Incipite v. maximum. ac decus maximum eis legum doctrinam et viam, quam Pater legum, jux. Authen. de Incest. Nupt. §. Dubitatum ita; Coll. 2. Iustinianus Imperator invenit, aperire; ideo ut utrumq; honorem scilicet et bonos Scholares, futuros jux. d. §. Incipite optimos justitiæ et Reipublicæ ministros

habeat Iustinianeus Professor, Discipu:
lis suis viam ad arcana legalis scientiæ:
quàm planissimam in explicandis et per:
tractandis Institutionibus Iustinianeis
aperire curet. Lectionem suam ex classicis
et approbatis Authoribus præcipuè Stara
wolscio, Oinotomo, Wesenbecio, Schneide:
vino etc. compilet, eandem Constitutioni:
bûs Regni Nostri Poloniæ, statutîs, Con:
svetudinibûs, Plebiscitîs, Iure Saxonico,
Magdeburgensi, pro exigentia materiæ
reficiat, ac ut eandem horâ primâ pome:
ridianâ legendo, intra spatium unius
anni omnino finiat, brevitati, modò ex
ipsa non sequatur obscuritas et inserti
tudo, Ioan. Andr. in Proœm. Decretal.
v. Gregorius in princip doctrinam et præ
cautionem sequendo, studeat. Prolixitas

enim jux. præscriptum l. fin. §. In refu:
tatorijs C. de Appellat. fragile hominis in
genium confundit, tædium animis Audito:
rum generat, Constit. Justin. Imperat. §.
Quibus. in princ. C. de nov. Codic. Facten.
nec aliquod eisdem confert suffragium. Con:
stit. ejusd. Imperat. loc. cit. de Emendat. Codic.
D. Justin. Multò namq; utilius est pauca
idoneè effundere, quàm multis inutilibus
homines prægravare. l. 2. §. tedet si quid. C.
de Veter. jur. enucleand.

STATUTUM XXI.

De Professore Institutionum Iu ris Canonici

Quemadmodum Sacrosanctum Evan:
gelium non in verbis scripturarum, sed in
sensu, non in superficie, sed in medulla, n
in sermonum folijs, sed in radice rationis

informante can. Marcion. 1. q. 1. consi:
stere novimus; ita Institutiones Iuris
Canonici ipsumq; Ius Canonicum par:
tim ex sacra pagina praeceptis, ex Con:
ciliorum tam Generalium (inter quae qua:
tuor Nicaenum, Constantinopolitanum, E:
phesinum et Chalcedonense tanquam :
quatuor Evangelia et totidem Paradisi
flumina, probata et recepta can. 1. D. In
ter caetera dist. 15. primatum obtinet]:
quàm particularium authoritate Pon:
tificia indictorum et confirmatorum de
cretis, partim ex Constitutionibus et san
ctionibus Summorum Pontificum et :
Principum Saecularium ac deniq; San:
ctorum Patrum Sententijs, congestas et
compilatas, pari modo se habere non igno:
ramus: ideo Professor earundem Institu:

tionum, verborum apparatu et multido
quio omisso absq; longo circuitu, inhœren:
do Clemen. Auditor. de Rescript et l. fin.
C. de Relat. easdem Institutiones non se:
cus ac Iustinianeus Professor Instituti:
ones Iuris Civilis ex Classicis et approba:
tis authoribus, signanter Lancelloto Ito
Perusino, Valensi, Corvino, Clericato et a:
lijs colligat, collectas Constitutionibûs Pon:
tificiis recentioribûs, Provincialibûs Re:
gni Nostri et Diœcesanîs ac Concilij Tri
dentini et Rotalibûs decisionibûs auge:
at easdemq; ut præmissum est de Iustini:
aneo Professore intra spatium unius an:
ni, horâ secundâ pomeridianâ legendo,
methodô brevi et concinnâ finiat. Concin
na enim brevitas ipsis rebus conveniens,

quæ neq; plura neq; pauciora, quàm o:
portet complectitur, laudem meretur ac
omnibus in rebus, præcipuè verò in ipsis ar:
tium præceptis grata existimatur. Jacob.
Umphal. de usurpat legum. Lib. 6. Cap.
5. n. 1.

STATUTUM XXII
De Professore Doctoriano.

Sicut anima corpori, ita sua unicuiq; ad:
hæret obligatio, glos. in l. Quis ergo. v. In o:
mnibus ff. de Pecul. cui ut quilibet, ne:
in conscientia teneatur, ita et Professor:
Casuum Conscientiæ seu Doctorianus
pro munere suo satisfacere debet. Mu:
nus autem Professoris Doctoriani (ex:
cepto quòd Examinibus Ordinandorum
adesse, et unà cum alijs Examinatoribus

eosdem ex præscripto Fundationis suæ examinare debeat / hoc idem est, quod aliorum superiùs specificatorum Professorum, nempe diligens ex Authoribus approbatis Lectionis suæ collectio, ejusdem horâ qnâ antemeridianâ de die in diem more aliorum Professorum Ordinarias Lectiones prælegentium traditio, difficultatum in illa occurrentium, clara facilis et ad captum audientium explicatio, et infra spatium duorum annorum omnium Tractatuũ juxta ordinationem pientissimi Fundatoris de Anno 1636. Die 4ta Mensis Aprilis factam et Actis Capituli Cathedralis Cracovien: sis ingrossatam finitio. Omnes enim res à fine denominantur et tales censentur, quales finis designat. Barbos. et Ioan. Tabor. in Thesauro Locor. Commun. Jurisprud. Lib.

6. Cap. 17. Axiomat. g. v. Finis.

STATUTUM XXIII.

De Professore Magdalenistico seu de Canonum.

Quemadmodum illi, qui res canonis possident ab ejus solutione, nulla exceptione se tueri possunt. l. Fundos. C. de Fund. patrimon. l. nemo C. de Fund. rei privileg. et l. 1. C. de Immunit. nemin. conceden. ita et Professor Magdalenisticus seu sacrorum canonum Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ penes Collegium sitam suæ Professioni ex Privilegio Apostolico incorporatam possidens, ab obligatione illi annexa non debet esse immunis, atq; sacros canones breviter et succinctâ methodô, juxta ordinem Decreti Gratiani horâ septimâ matudinâ quotidiè exceptîs tamen diebûs illegibilibûs et tempo-

re silentij pariter excepto, diligenter collecta, Auditoribus suis prælegere et explanare tenetur, ita ut eorundem sacrorum Canonum primam partem distinctiones Centum et unam continentem, intra Annum primum, secundá Causas Triginta sex complectentem intra Annum secundum, tertiam Causa Trigesima Tertia Quæstioni Tertiæ inclusam de Pænitentia in septem distinctiones et quartam de Consecratione in Quinque distinctiones divisas, intra tertium Annum finiat cum effectu. Nihil enim actum esse credimus cùm aliquid addendum superest. l. Cum Sillanianum. in fin. C. de Ftis. quib. ut indignis hæreditates auferuntur.

STATUTUM XXIV.

De Professore Luborzyciano seu Processus Iuris.

Cum ex litibus nihil aliud, nisi discordiæ, jux.

l. Servus. ibi: sed si aliquid. ff. de Actionib. et Obligation. oriantur, ideò publicè et ex praescripto. l. Properandum. C. de Judic. interest, easdem abbreviari, quòd facilè fiet, si Judices in illis decidendis rectam procedendi formam, quam in Scholis didicerunt, observabunt. Curabit igitur Luborzycianus Professor nunc et pro tempore existens normam in Judicijs observari solitam, et a Janidlovio tum per priùs Gregorio Szamutulio olim Doctoribus Facultatis Nostra Juridica ac ab alijs praescriptam, in tradendo Processu Juris sequi, eundem Processum praxi Foro utriq; tam Spirituali principalitèr, quàm Paculari Regni Nostri incidentèr conformem accomodare, materias in illo tractari solitas, ubi opus fuerit ampliationibûs augere, limitationibûs restringere, horâ octavâ matudinâ quotidiè

exceptis diebus illegibilibus et tempore silen:
tii exceptô, diligenter legere, totumq; Processum
intra biennium, aliàs prima Instantia intra
annum, coram Judice Delegato, in secunda
et tertia Instantijs intra secundum annum
finire, quinimo si quid temporis supererit, ad
finem Commutationis aliquam Tractatio:
nem, vel de Processu Tribunalis Regni, aut
post Curiam Sacra Regia Majestatis, sive
etiam Granitiali, qui servatur in exdivisione
Bonorum immobilium tam per Succame:
rarios, quàm per Judices ex Tribunali Re:
gni aut Sacra Regia Majestatis deputa:
tos compendiosè superaddere, et praxibus
eundem Processum praecipuè in prima In:
stantia et coram Judice Delegato exornare
ex praxi enim (ut docet Gaill. Lib. 2. Obs. 52.
n. 19.) vera enimitur interpretatio, ac leges jux.
doctrinam Bald. in c. Ex tenore. de Testib.

tunc sapiunt, cùm practicantur. Unde non immeritò natum est illud tritum et usu receptũ adagium: Leges in schola deglutiuntur, in Palatio digeruntur; quia practica est scientia digestiva, et ubi Theoricus desinit, ibi practicus incipit. Bald. in Repetit. l. et Emilius. Cod. 10. v. Leges in Scholis ff. de minorib.

STATUTUM XXV.

De Professore antiquorum Iurium seu Canonico Cracoviensi.

Licèt in jure omnia nova pulchritudine decorata sint, et jux glos. Proem ff. v. nova. omnia nova placeant, antiqua tamen penitus ignoranda non sunt. §. Testamentum. Instit. Imper. in princ. de Testamen. ideo Iurium antiquorum Professor seu Canonicus Cathedralis Cracoviensis, ut Auditores et antiqua non ignorent jura et in novis exercitium habeant, Rubricas ex Decretalibus Gregorij IX. ordi-

ne depromptas, aut etiam (quod satius est:) plausibiliores ad placitum sui et auditorum suorum ex Libris earundem Decretalium selectas ac novis juribus exornatas, habito respectu ejusdem Senij, laboris in ante impensi et quotidianæ Ecclesiæ Cathedralis visitationis, nisi sit à laboribus dispensatus, per se, vel suum substitutum Professorem ab Universitate juxta antiqua Statuta Universitatis salariandum, semel tantùm in Septimana, horâ sextâ matutinâ, aut tertiâ pomeridianâ, vel alia opportuniori, modò ordinariam Lectionem non impediat, praeleget suamq; Lectionem seu Rubricam ex Libris Quinq; Decretalium (ut premissum est) depromptam in decursu unius Commutationis, aut ad maximum duarum finire cum effectu curabit et erit adstrictus. Finis enim est nobilior omnibus, quæ sunt ad finem. arg. l. Etsi non sunt. I. Infecti. et I. Per:

veniamus. ff. de Auro et argen. legat.

STATUTUM XXVI.

De non involando in materiam alterius Lectionis

Quia paria sunt non incipere vel cœpta non perficere. arg. l. fin. §. penult. C. de Codicill. ideo ut quilibet Professor Lectionem suam in tempore Statutis superioribus præscripto finiat, non solùm brevitati juxta præmissa studere tenetur, sed etiam in materiam alterius Lectionis involare non debet, alias nõ esset sine culpa juxta tritissimam Utriusq; Juris Regulam. Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet se immiscet. c. Non est. de Reg. Jur in 6. et l. Culpa est ff. eod. tit.

STATUTUM XXVII

De Commmutatione Lectionum inter Professores facienda.

Quàm sit proficua et docentibus et studenti:
bus in omni jure exercitatio, ipsa efficax rerum
magistra experientia manifestat: c. Quam sit.
de Elect in 6.to Cupientes itaq; ut non solùm stu:
dentes, sed etiam docentes universi juris habe:
ant notitiam, statuimus quatenus nunc et
in futurum licitum sit Professoribus retentô
Beneficiô, cui annexa est aliqua Professio
et fructibûs ex illo provenientibus retentîs, solam
Lectionem et ejus traditionem (cùm Benefi:
cium sit cum Canonica institutione adeoq; in:
commutabile, sed perpetuum et non ad tem:
pus c. un. junct. glos. v. Perpetui. de Capell. Mo:
monach. et ex mutatione Rectorum Benefi
cij magnum Ecclesia jux. Decis. Rot. 24. n. 1.
ante fin. de Præben. in nov. reciperet detrimen:
tum:) inter se commutare idq; non obstantibûs
statutîs superiùs de unaquaq; Professione ac ei
annexa Lectione descriptîs. Jura enim et statu:

ta, necessitate, vel utilitate exigente, interdum va:
riare licet. c. Non debet. de Consanguinit. et affinit.

STATUTUM XXVIII.

De Professore substituendo vel non.

Quamvis Doctor, vel alius quivis Professor vi:
cariâ operâ uti, et per substitutum legere non
possit. arg. gloss. l. 1. v. Usurpantes. C. de Man:
cip. et Bart. in l. Nemo est, qui nesciat n. 5.
ff de duob. reis. cùm ad munus suum debitè
peragendum industria ejus electa esse cens:
atur. c. fin. I. Is autem. de Offic. Delegat. et
Modit. Dubit. 10. I. Prudentum responsa,
tamen eundem inhærendo Consuetudini
non solùm in Nostra Universitate, sed etiam
in alijs Universitatibus et Scholis recepta
ac sumpto argumento ex c. Si pro debilita:
te de Offic. Delegat. ob debilitatem virium,
veram infirmitatem, vel aliam causam pro:
priam, aut Universitatis sive cujuspiam

insignis viri, non tamen ad longum tem:
pus, Doctorem et Professorem sufficientis
eruditionis, bonæ apud omnes commendati:
onis et æstimationis posse habere substitu:
tum decernit, Jason in l. 1. n. 79. ff. de Offic.
ejus, cui mandat. est jurisdict. quemadmo
dum et illum, qui per viginti annos continu:
os in ante legerit. Idem Jason. in d. l. 1. n. 1.
ff. e.t. Qui enim per alium facit per se face:
re videtur. c. Qui facit per alium. de Reg.
Jur. in 6. et l. Quod jussu ff. e.t.

STATUTUM XXIX.

De Salario Professorum ob aliquod impedimentum non legentium.

Quemadmodum Advocati, si per eos non
steterit quò minus causam agant, hono:
raria à suis principalibus accepta reddere
non debent. l. Qui operas ff Locati et Con

ducti ita Professoribus eisdem per jura. à Tolossan. in Syntagmat. Jur. univers. Lib. 3. Cap. 8 et Christophor. Besold. Dissert. Cap. 9. pagell. mihi 103. allegata, æquiparatis ob grassantem pestem, vel aliquod aliud legitimum impedimentum non legentibus propter identitatem rationis totum salarium debetur. Dec. et Natta, quos citat Gaill. Lib. 1. Obs. 44. n. 13. Paritas namq; rationis, paritatem juris inducit. l. Illud. ff. Ad l. Aquil.

STATUTUM XXX.

De Interstitijs laborantium Professorum et diebus illegibilibus.

Quandoquidem tempore egemus, ut aliquid maturiùs agamus. can. Ponderet. dist. 50. ideò ut in hac nostra Facultate Juridica Doctores et Professores habeant tempus ad maturius Lectiones Juridicas colligendas, quæ ad sui colle-

ctionem multo tempore et labore indigent, more aliarum Facultatum Universitatis Nostra et signanter Theologica interstitia in suis laboribus juridicis sequentia observabunt. Et quidem Commutatione Æstiva priùs Doctores, ac post illos statim Professores immediatè post Festum Sancti Stanislai Episcopi et Martyris in Majo suas Lectiones inchoabunt, et easdem semper, exceptis diebus Feriatis ad populum, Festo S. Ivonis Confess. 19. Maij, Vacationibus à Festo S. Margaretha Virg. exclusivè inchoandis et in Festo S. Bartholomæi Apostol. inclusivè terminandis, tum Festo S. Augustini Episcop. et Ecclesiæ Doctoris die 28 august. incidens ad Festum Translationis ejusdem S. Stanislai Episcopi et Martyris prolegent: Commutatione verò Hyemali easdem Lectiones post Festum Sanctorum Omnium

reassumptas exceptis itidem Festis solenni bus, seu Festis ad populum, tum Festis Præsentationis B. V. Mariæ die 21. Novembris, Nativitatis Christi Domini à pervigilio S. Thomæ Apost incheoans et in Festo SS. Trium Regum terminans SS. Fabiani et Sebastiani die 20. Conversionis S. Pauli die 25. S. Joannis Chrysostomi die 27. Januar. S. Thomæ Aquinatis die 7. S. Gregorij die 12 Martij incidentibus, ad Dominicam Passionis continuabunt, et easdem juxta præscriptum uniuscujusq; Lectionis finient, ut perfecti operum suorum dicantur et sint re ipsa Authores. Perfecta enim censeri non possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. can. nihil. 7. q. 1.

STATUTUM XXXI.

De Vestitu Doctorum et Professorum legentium

Ut quilibet secundùm ordinem et dignitatem

vestiri tenetur. l. Sed et si quid. §. Sufficienter ff. de Usu fruct. et quemadm. quis utatur. ita Doctor à Professore et Professor à Doctore habitu seu vestitu Academico tam in tradenda Lectione, quàm in alijs actibus Facultatis vel Universitatis distinqui debet. Statuimus igitur et observari præcipimus, quatenus Doctor pro tradenda Lectione, aut Togâ aut Mateleto (in quo etiam extra functionem Doctoralem incedere solet) indutus, Cathedram ascendat Doctoralem, sed in Actibus Promotionum extraneorum ad gradum Doctoratûs in Utroq; Jure et præcipuè publicarum, sive promoveat Doctorandum sive non, ac sive sit in Toga, sive in Manteleto epomidatus sit, prout et Professor Lectionem Juridicam tradens vel Actum Facultatis suæ aut Universitatis adornatus tabardatus. Chlamis enim militem, purpura Regem,

Joga demonstrat Doctorem. Joan. Cirier. de Primggen. q. 2. n. 21.

STATUTUM XXXII
De Extraneis ad gradum Doctoratus promoveri volentibus.

Quia Doctoratus est honor et dignitas s.c. Quanto v. Dignitatem assumunt. de Magistrad dignitatem vero jux. Clemen I. de Ætat. et qualit. præficien. qualitates requiruntur et ad honorem gradatim exdispositione l. Ut gradatim ff. de Munerib. et honor. procedendum est. idcirco statuitur, ut quilibet honoris Doctoratûs in Utroq; Jure Insignia capessere intendens, sit scientiâ præclarus, moribûs gravis, ætate maturus, vel illam prudentiâ suppleat, Parentibûs legitimîs ortus vel specialitèr jux. Modictum ad I Prudenhum responsa. dubit. 1. n. 14. dispensatus

ac nullâ juris vel facti infamiâ notatus, aut cen
suris Ecclesiasticis sub hoc tempus innodatus
atq; in album Universitatis ante institutionem
petitionis suæ in ordine ad præsentationem
faciendam inscriptus et immatriculatus.
Qui enim Privilegijs et immunitatibus U-
niversitatis frui et gaudere exambit, ab im-
matriculatione, quæ est clavis et janua ad ar-
chivum earundem inchoare tenetur. Math.
Stephan. de Academ. Cap. 5. n. 18. et seqq. Post
quam quidem immatriculationem Doctores
Facultatis ac imprimis Decanum pro tem-
pore existentem adeat, mentem suam ei-
dem aperiat, unum ex Professoribus Juris
actu legentibus et Collegium inhabitantibus,
qui illum Doctoribus Facultatis per Deca-
num congregandis præsentet, et ad obtinen-
dam in Utroq; Jure Lauream Doctoralem
sit prodromus, sibi dari et assignari, locum

et horam præsentationi expediendæ præfigi et constitui petat; ac ex parte Decani obtineat. Justa quippe petentibus nihil est denegandum. l. Si dominus. ff. de His qui sunt sui, vel alieni juris.

STATUTUM XXXIII.

De Præsentatione Doctorandi et ejus Tentamine

Sicut sine via pervenit nullus, quò tendit can. Charitas. 5. dist 2. de Pœnit. ita sine manuductore et prodromo non ambulare possumus sed errare. Ne igitur ad Lauream in Utroq; Jure capessendam tendenti Candidato errare vel cespitare contingat, Professor Utriusq; Juris per Decanum Facultatis assignatus, illi prodromum agat, in omnibus eundem informet, Doctoribus per Decanum Facultatis congre:

gatis verbis praeconceptis praesentet, ipsum ad Tentamen postea ad examen, ac demum post obtentum in Utroq; Jure Baccalaureatum et Licentiaturam, ad ipsam Lauream Doctoralem admitti et promoveri petat: Cujus petitioni Doctores adminimum tres tam pro tentamine, quàm pro examine necessario praerequisiti per Decanum (ut praemissum est:) congregati, ore ejusdem Decani ad praesentationem Professoris praesentantis respondentes faciles se praebebunt, Praesentatumq; ad Tentamen admittent ac illud incontinenti rigorosum expedient, pro futuroq; examine puncta ex Utroq; Jure Canonico nimirum et Civili Praesentato per: Decanum Facultatis dabunt et decisioni eorundem punctorum ac examini tempus justum praefigent et assignabunt. Tempori enim serviendum est. can. Si enim §. Liberi. dist. 2. de Paniten. quia tempus omnia fer:

re consuevit. Authen in Proœm. Tit. de Re:
stitut. §. 1.

FORMULA

Decisionis et recitationis punctorum me:
moriœ mandanda ab ijs qui in Utroq; Jure
Laureœ Doctoratûs in hac Facultate Ju:
ridicœ Almœ Universitatis Cracoviensis
Studij generalis decorari desiderant.

Laureandus audito Decani Facultatis
jussu super decisione et recitatione puncto:
rum faciens assurget factaq; inclinatione
Capitis in reverentiam Doctoribus Sedenti:
bus Cruce Sancta se muniet et sic ordietur.

Constitutus in præsentia Perillustrium Do:
minationum Vestrarum, sequendo normam
in decidendis punctis à Jtis præscriptam,
puncta mihi ad decidendum pro expedien:
do examine commissa pace Vestra recito
quorum 1mum est c. n. de. n. 2dum l. n. de:

n.n.

Exordior itaq̃ decisionem meam à puncto digniori; quia ex jure Canonico desumpto: Sicut enim Sol dicitur luminare majus, Luna verò luminare minus, ita in Ecclesia militante Jus Canonicum habetur adinstar majoris luminaris, Civile adinstar Luminaris minoris.

Cùm autem omnis canon et omne capitulum intelligi debeat secundùm suam Rubricam sub qua positum est; ut habet glos. c. fin. de Locat et Conduct. c. meum positum est sub Rubrica in Decretalibus Gregorij IX. Lib. n. Tit n. de n.

Sed ut præscripto distinctionum 15. 23. et 24. satisfiat expedienda est præterea Continuatio Rubricarum ac proinde continuationem Rubricæ c. mei cum præcedenti Rubrica seu Titulo depromo ex mente Doctorum talem:

Postquam actum est superiori Rubrica de N. etc. ideo poni debuit Rubrica mea de N.

Facta itaq; continuatione Rubricarum inter se connexarum descendo ad Quæsita et quæro 1mo Quid sit etc. Et respondeo etc. Quæro 2do etc. et Respondeo etc. etc.

Post quæsita et responsiones venio ad c. mei divisionem, quod dividitur sic. etc. vel quod ob sui brevitatem non dividitur, aliàs qui: vellet dividere illud, laceraret potiùs quàm divideret. jux. sententiam Bald. in l. Petens. C. de Pact.

Sed quia ex facto jus oritur c. penult. de Desponsat. Impuber. ideo facti Speciem seu casum figuro talem: Quidam etc. hic casus formandus etc. R. negat. vel affirm.

Quia verò omnis lex debet esse rationabilis c. Si quando. de Rescript. ratio. c. mei hæc est etc.

Verùm quia facti species, ùt docet abb. in c.

Pertuas. de Arbitr. debet congruere litera: ideò ut hoc, quod dixi evidentiùs pateat, lego textum c. mei. hic textus legendus

Quoniam autem omnis Juris decisio debeat esse de casu dubitabili. c. Cum in jure peritus. de offic. Delegat. posset in contrarium opponi. Hic opposita et responsiones ad illa ponenda.

Et quoniam quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur neglecta. c. a multis. de ætat. et qualit. præficien. Noto 1mo. 2do. 3tio. etc.

Expeditis Notabilibus, descendo ad apparatum glossarum c. mei, quarum 1ma. v. N. ubi dicitur etc. 2da sub v. N. ubi etc. etc.

Absoluto primo puncto decisionis Quæstionis meæ descendo ad alterum sub l. n. de N. positum.

Et quoniam quælibet lex debet intelligi secundùm Rubricam sub qua posita est l. Impe-

rator ff. de In diem addict. Rubrica l. mea posita est in Libr. N. Tit N. ff. v. C. de N.

Cùm autem ante omnia Jurisperito continuatio Titulorum seu Rubricarum facienda sit l. 2 ff. de Stat. homin. Rubrica l. mea cum præcedenti connexionem seu continuationem hanc habet: Quia Titulo præcedenti actum fuit de n. titulo l. mea sequebatur agendum d. n.

Expedita Rubrica mea continuatione veniò secundùm dicta Azonis ad Quæsita et Quæro 1mò. Quæro 2dò etc.

His præmissis lego l. meam Itic legenda lex qua perlecta cùm ex se sit clara, candem non divido sed juxta decisionem prioris puncti casum pono: Utrum etc. et respondeo per l. meam affè vel negativè.

Sed quoniam secundùm Jasonem in l. Quod dictum ff. de Pact. ratio est anima

legis. Ratio l. mea est hæc etc.

Quia verò quæ notabiliter fiunt; nisi speciali-
ter notentur videntur neglecta. l. Item apud. §.
ait Prætor. ff. de Injur. Noto 1mò. 2dò. 3tiò etc.

Expeditis notabilibus venio ad apparatum
glossarum quarum 1ma sub v. n. 2da sub v.
n. etc.

Notabilibus et glossis expeditis reliquum est ut
me vestro rigoroso, benigno tamen, ùt spero subij-
ciam examini. Cætera verò Perillustribus Domi
nationibus Vestris de me judicanda relinque-
meq; eisdem humilitèr devotèq; committens.

STATUTUM XXXIV.

De Decisione punctorum Examine et Exa minati Bacalaurei in Utroque Jure renuntiatione

Quia Laurea Doctoratûs sine prævio solen:
ni examine. jux. Ricc. in Pract. aur. et quotid.
resol. 136. in princ. et resol. 463. Constit. 60. Pij

V. Quamvis §. 2. et 3. 1. Jun. 1568. et pra:
xim^in Universitatibus generalium studiorum
nemo insigniri potest et debet: ideò statui
tur, ut promovendus in Doctorem Utriusq;
Juris. puncta per Decanum Facultatis
post expeditum Tentamen sibi data et ad
decidendum commissa in termino ex:
prafixione ejusdem Decani et Doctorum
adveniente, juxta Formulam superiùs
immediatè descriptam, promptè memo
riter et magistraliter, Rubricas continu:
ando, textus explicando, notabilia colligen
do, ampliando, limitando, glossas afferen:
do, et interpretando, decidat, ad quasita
et argumenta pro et contra à Doctoribus
Facultatis proposita respondeat, atq; per
decisionem ejusmodi punctorum et exa:
men, sententiâ Doctorum, in absentia Do:
ctorandi, tunc in loco deliberationi dato

existentis per Decanum à Doctoribus exqui
sita, idoneus adinventus per eundem De:
canum Baccalaureus in Utroq; Jure renun:
tietur et cum testimonio per Professorem Præ:
sentantem de expedito examine exhibendo
ad Procancellarium Universitatis, si Facul:
tas Juridica suum seorsivum Procancella:
rium non habeat, sicut antea habebat, pro
obtinenda licentiatura remittatur, his q̃
gradibus et non subitò ad honorem Docto:
ratûs ascendat. Casum enim appetit, qui
ad Summi loci fastigia postpositis gradib̃
per abrupta quærit ascensum. can. fin. dist.
48.

Statutum XXXV.

De Expensis per Promovendum præstandis

Licèt secundùm Mynsinger in S. Respon:

sa prudentum. n. 5. Instit: Imperat. de
Jur. Nat. Gent. et Civil. absurdum sit et illici
tum nummis in Universitatibus Doctora:
tum comparari et obtinere, nihilominus:
gradus dignitatis Doctoreæ absq; expen:
sis haberi non potest. Quare quilibet Do:
ctorandus, antequam in Utroq; Jure, pat:
expeditam decisionem punctorum et exa:
men peractum Baccalaureus Utriusq;
Juris renuntiabitur, non iam Tria mil:
lia Juronensium argenteorum jux. dispo
sitionem Clemen. Cum sit. de Magistr.
sed inhærendo consuetudini antiquæ
in hac Facultate observatæ et in legem
tractæ, non derogando quidpiam unius:
cujusq; liberalitati, Triginta quinq; aureos
Hungaricales, ad manus Professoris,
qui eum præsentavit, reponet; ex quibus

duo Perillustri Procancellario sive totius Universitatis, sive solius Facultatis Nostræ Juridicæ fuerit, à Licentiatura, præsentanti Professori unus, pro punctis ad decidendum datis unus. unus pro Diplomate et tres Promotori semper cedent. residui verò, excepto hoc, quòd Decanus pro tempore existens duplicata portione gaudebit inter Doctores Facultatis in vim laboris, quem in Tentamine et Examine subierunt æqualiter dividentur. Justum namq; est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. can. Charitatem 12 q. 2. in fin.

STATUTUM XXXVI.

De Licentiatura Promovendi ad Doctoratum

Cùm post obtentam Licentiaturam modo primum summam in Republica Literaria

dignitatem Doctoratûs petere et eam jux.
Gregor. Tholosan. de arte jur. Cap 34. n. 18.
pag 556. tunc consequi liceat, quando Docto:
res et Doctorandus voluerit. Proinde decernitur
quatenus Professor, qui Doctorandum præ:
sentavit, cum eo in deffectu Procancellarij Fa:
cultatis, Cancellarium Universitatis adeat,
eundem de examine per Licentiandum pe:
racto, tum de idoneitate in illo per Doctores
Facultatis reperta et de ejus in Baccalaure
um Juris renuntiatione certificet, ac simul
ab eo petat eundem Baccalaureum, Licen:
tiatum in Utroq; Jure creari, seu potiùs Pro:
motori per Doctores Facultatis eligendo;
ut præfatum Baccalaureum post obten:
tam licentiaturam ad gradum Doctoratûs
captato tempore opportuno promovere possit
et valeat, facultatem dari et concedi postulet;

pravia repositione duorum aureorum Hunga:
ricalium ipsi per Decanum Facultatis consi:
gnatorum et transmissorum. Qui Procancella:
rius petitioni justa et rationi consona annu:
endo ad Licentiaturam descendet camq; sub
hac vel simili verborum forma expediet; au:
thoritate legum et privilegiorum à Summis
Pontificibus Invictissimis Poloniarum Re:
gibus, Serenissima Republica Polona Uni
versitati Nostra gratiosè concessorum ac pe
Sanctam Sedem Apostolicam approbatorum
authoritate Eminentissimi Cardinalis in
Lipe Lipski Episcopi Cracoviensis Ducis
Severiæ. Universitatis Nostra Studij Genera:
lis Cancellarij longè faventissimi et mea
qua interim fungor delegata ego te Licen
tiatum in Utroq; Jure creo, creatum clara
voce renuntio dans tibi facultatem ipsan

Lauream Doctoralem quocunq; tempore opportuno petendi et obtinendi idq; in Nomine Patris et Filij et Spiritus Sancti Amen.

STATUTUM XXXVII.

De Promotione Doctorandi

Quandoquidem illa tantùm perfecta censeri possunt, quæ ordine perfectionis complentur; can. Nihil. 7. q. 1. ideo in Utroq; Jure Licentiatus ut actum suæ promotionis perficiat dicaturq; perfectus Doctor, post obtentam Licentiaturam Tabarda ornatus ad Lectorium CC. DD. Hujus die et horâ promotioni designatis præeunte suo Promotore descendere ac in sella ad hoc parata locatus, post præmissum à Promotore sermonem, petitionem brevem Insignium Doctoralium instituere et Professionem Fidei juxta præscriptum Concilij Triden. Sess. 25.

Cap 2. de Reform. et consit Pij IV. Injunctum Idib. Novemb. 1564. facere tenetur. Tandem à Promotore invitatus, Doctoratûs Insignia recepturus Cathedram Doctoralem ascendit, fitq; suorum compos votorum Traditur nempè Ipsi Cathedra Doctoralis possessio, Biretum capiti ejus in signum splendoris et Coronæ imponitur, Liber apertus et mox clausus porrigitur, Annulô Facultati desponsatur, osculô eidem Facultati adoptatur ac tandem Doctor in Utroq; Jure creatur juxta inferiùs ad finem Statutorum prascriptam formam semper observandam. Forma enim dat esse rei l. Julianus. §. Si quis rem ff ad exhibendum. quæ si non servetur, aut deficiat; nullus est actus. c. Cùm dilecta. et ibi glossa v. Irritum de Rescript.

STATUTUM XXXVIII
De Juramento per creatum Doctorem prœstando

Vinculo naturalis obligationis adstricti, illis debemus esse obnoxii, à quibus aliquod recepimus beneficium c. Cum in Officijs de Testamen. ideo et Doctor in Utroq; Jure noviter creatus, ut ex recepta in Universitate Laurea Doctorali novam contrahat obligationem, æquum et justum est. Antequam igitur ex Cathedra descendet et pro collata sibi Laurea Deo Jer optimo Maximo Beatissimæ Virgini Mariæ Colonum Incolis et signanter Divinissimo Joanni Cantio Universitatis Patriarchæ et Laureatum Academicarum Conservatori gratiosissimo, tum Facultati atq; Hospitibus pro præsentia actui præstita:

gratias aget, super his duobus punctis quod hunc gradum in alia Universitate non reasumet et quòd et quemcunq; statum perveniet, bonum Universitatis pro posse promovebit, interrogante Bedello vel alio quocunq; in defectu Bedelli clara voce jurabit et suo juramento tanquam non illicito stare et illud semper in recenti memoria servare studebit. Non est enim tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ. c. Si vero de Jure jurand.

STATUTUM XXXIX.

De Diplomate seu Literis Testimonialibus promoto Doctori dandis

Quia is, qui Doctoris nomen et Insignia falsò usurpat pœnâ arbitriâ, qui verò ad Actus Doctorales se ingerit, pœnâ

falsi secundùm Bennium part. 2. Cap. 52.
et Ricc. Decis. Curiæ Archiep. Metrop.
part 3. decis 330. puniendus est, ac su:
um Doctoratum per Diploma authenti
cum, vel alias legitimas probationes jux.
Mascard. Concl. 527. à Besol. in Dissert.
Cap. 10. ibi: Probandus citatum deducere
tenetur: ideo quicunq; ad gradum Do:
ctoratûs in Utroq; Jure, in Facultate
Nostra Juridica promotus fuerit, ne
à quopiam vexatoriè impetatur, promo:
tionis suæ publicum Documentum seu
Diploma authenticum et in forma pro:
banti cum Sigillo Facultatis et sub:
scriptione Decani pro tempore existen:
tis ac Promotoris si distinctus à Deca:
no fuerit, habere debet, illudq; ipsi,

Decanus (nisi causa legitima subsit) sine omni tergiversatione extradere tenetur sub forma sequenti amplissima.

FORMA DIPLOMATIS

M. NN. Utriusq; Iuris Doctor et Professor etc: Facultatis Iuridicæ in Universitate Cracoviensi Studij Generalis Decanus et in Actu infra descripto Promotor

Universis et singulis præsens publicum Doctoratûs Diploma visuris, lecturis vel audituris salutem in eo, qui est omnium Nostrum salus. Fœcundissima bonarum artium Parens, studiorum omnigenæq; erudi: tionis indulgentissima altrix, orbis Poloni Stella Polaris, ac totius Septemtrionis Luminare Majus alma Universitas

Studij Generalis Cracoviensis, amplissimâ
Summorum Pontificum Urbani V. et Bo:
nifacij IX. concessione ac Serenissimorum
Casimiri Magni et Vladislai Jagello
nis Regum Poloniæ munificentissi:
ma liberalitate in Emporium Scientiarum
omnium feliciter erecta, eximijs gratijs,
indultis ac privilegijs mirificè exornata,
omnibus quidem quos innata vis animi
secernit populo atq; ad sublimem eruditio:
nis arcem per invia et abstrusa literarum egre
giè urget, sinum propensæ indulgentiæ pia
Mater aperit; venientes liberaliter colligit et
complectitur amanter, quos tamen eminen:
tiori doctrinæ innocentibusq; Musis deditos
magis comperierit, luculentissimæ illis bene:
volæ voluntatis suæ et ornamentorum im

pertiri in usu habet testimonia, quatenus pu:
blici encomij et gloriæ generoso stimulo exci:
tati stadium literati laboris decurrant impen:
siùs et ad bravium ingentibus ausib, propo:
situm, virtutum eruditionisq; arcto calle eni:
tantur, publico bono et pulcherrimæ orbis lu:
ci ubicunq; locorum magna exempla datu:
ri, certissimaq; emolumenta facturi. Pro
inde cum Perillustris NN. ut alijs scientijs,
ita juris peritiâ præditus, alijsq; virtutibûs
ac eximijs dotibûs ornatus, coram Nobis
et inclyta Facultate Juridica Perillustri:
um Clarissimorum et Admodùm Reve:
rendorum Utriusq; Juris Doctorum et Pro
fessorum eandem Facultatem regentium
per Illustrem Clarissimum et adm Rndum
M. NN. Utriusq; Juris Professorem etc.:
Præsentatorem suum Die N. anno curren:

ti petitionem suam solennem instituisset, ut in inclyta Facultate Iuridica hujus Almæ Universitatis præmissis de jure et consuetudine præmittendis Doctoralis Laureæ in Utroq; Jure Insignia consequeretur, Nos de assensu unanimi et voto expresso Perillustrium Clarissimorum et admodùm Reverendorum Utriusq; Juris Doctorum et Professorum Facultatem Iuridicam actu regentium pro prædicto Perillustri N.N. primò Tentamen, postea Examen in forma solita aperuimus, eidemq; post Tentamen absolutum puncta ex Utroq; Jure tam Canonico, quàm Civili ad decidendum assignavimus, decidendi diem horam, locum in Collegio Nostro Iuridico præfiximus. Quo quidem die et termino adveniente congregatis collegialiter Perillustribus:

Clarissimis et Admodùm Reverendis Utriusq; Iuris Doctoribus et Professoribus Facultatem Iuridicam regentibus. idem Perillustris N.N. Utriusq; Iuris Candidatus post decisionem et recitationem punctorum rigoroso se submisit examini, punctaq; sibi assignata ex Iure quidem Canonico c. N. de N. ex Iure autem Civili l. n. ff. vel C. de N. intelligenter ac in forma solita Rubricas continuando, textus decidendo, notabilia colligendo, ampliando, limitando, pro et contra arguendo, quæsitis et argumentis Perillustrium Clarissimorum Doctorum et Professorum Facultatem Iuridicam Regentium in contrarium propositis prævia distinctione terminorum × ita respondendo, promptè, ut præmissum est, decidit, absolvit et expedivit, ut in Utroq; Iure tam Canonico, quàm

Civili aquè sufficiens ac idoneus ex unanimi
eorundem Perillustrium, Clarissimorum
et Admodùm Reverendorum Utriusq; Iu:
ris Doctorum et Professorum ac Examina
torum consensu, suffragiô et votô, nemine
prorsus contradicente fuerit judicatus
et approbatus. Quocirca nos collegialiter
congregati Facultatis Iuridicæ Docto:
res et Professores eundem Perillustrem
nn. post examen præfatum in Dei nomi:
ne pronuntiavimus et declaravimus esse
idoneum omni ex parte, dignumq; am:
plissimo in Utroq; Iure Doctoratûs ho:
nore decrevimus, ac post Baccalaurea:
tûs in Utroq; Iure Lauream concessam,
eundem pro obtinenda licentia quo:
cunq; tempore opportuno Doctoralis
in Utroq; Iure Laureæ ad Perillustrem

NN. Procancellarium remisimus. Tandem die et anno infra specificatis in Aula amplissimi Collegij Iuridici et publica magnorum Hospitum audientia sæpè nominato Perillustri NN. Utriusq; Iuris Licentiato per Perillustrem Clarissimum et admodum Reverendum M. NN. Utriusq; Iuris Doctorem etc. et in actu moderno Promotorem vel per nosmetipsos Insignia Doctoratûs in Utroq; Iure hac forma contulimus et tradidimus, ac recepta ab eo Fidei Catholicæ Professione juxta præscriptum Ss. Concil. Triden. et Constit. felic. record. Pij Papæ ejusdem Nominis IV. eundem Perillustrem NN. in realem et actualem Cathedræ Iuridicæ possessionem introduximus, Epomide humeros ejus ornavimus, Biretum pro Corona Capiti ejus imposuimus, tandem Li:

brum clausum et mox apertum eidem obtu:
limus demum annulô aureô digitto ejus
impositô Sacratissimæ Juris Scientiæ subar
ravimus, insuper pacis osculo ad gremium
Perillustrium, Clarissimorum Utriusq; Ju:
ris Doctorum et Professorum cooptavimus.
Ad extremum sic decoratum et insignitu
Doctorem in Utroq; Jure Canonum et Le:
gum palàm creavimus et alta voce pro:
nuntiavimus, declaravimus, Facultati
Juridicæ aggregavimus, potestatem de
Jure respondendi, glossandi, declarandi,
Quæstiones determinandi, cæterosq; omnes
actus Doctorales privatim et publicè si:
ne præjudicio tamen Universitatis et
Facultatis Nostræ exercendi contuli:
mus, omnibûsq; præterea privilegiis, præ:
rogativîs, favoribûs, indultîs, libertatibûs,

gratis adinstar Parisiensis et Bononien:
sis Universitatum, juxta privilegium Le:
gum Almæ Universitatis Nostræ Cracovien:
sis utendi, fruendi, gaudendi, facultatem
dedimus hic et ubiq; locorum. In quorum o:
mnium et singulorum fidem præsens Docto:
ratus in Utroq; Jure Diploma manu no:
stra subscripsimus ac Sigillo Facultatis Ju:
ridicæ communiri fecimus. Actum et datt.
in Collegio CC. DD. Ictorum Universita:
tis Cracoviensis Studij Generalis Die N.
Mensis N. Anno Domini Millesimo Se:
ptingentesimo Quadragesimo Secundo.
Præsentibus etc.

STATUTUM XL.

De Professoribus intraneis alibi promotis Facultati incorporari volentibus

Quia quæ rationabiliter definita et statu:

ta sunt, violari et immutari non debent can
cum pio. 25. q. 2. adeoq; et Statutum Univer:
sitatis de non quærendo alibi Doctoratu, cum
domi haberi possit inviolabiliter sub pœ:
nis ibidem expressis manutenendum: ni:
hilominus si aliquis Professorum in aliqua
approbata Universitate Lauream Docto:
ralem obtinuerit ac ad Universitatem et
Facultatem rediens, via laborum et meri:
torum processerit, alijs Professoribus hic
in Facultate legentibus, quo ad locum
et primogenituram in Universitate non
præjudicando, poterit per Universita:
tem et Facultatem facta pro Loco in
ter Doctores Facultatis responsione et
alijs juxta Statuta inferius descripta, de
more et consuetudine peractis Doctori:
bus Facultatis aggregari et incorpora:

ri et incorporari. Multa enim fieri pro:
hibentur, quæ si facta fuerint, obtinent fir
mitatem c. Ad Apostolicam de Regularib.

STATUTUM XLI.

De Qualitatibus admittendi ad Doctoratum intranei Professoris

Cum sit nimis absurdum, ut quis cum
vanitate et imperitia ad honorem ascen:
dat peritia literarum. Clem. Cum sit ni
mis. de Magistr. ideo Statuitur, ut nulli
Professorum Utriusq; Juris ad gradum
Doctoratûs in eadem Facultate ascen:
sum habeant, nisi illi qui præscripto l.
un. C. de Professorib. qui in Urb. Constan:
tinopol. docen. in toto satisfecerint: hocest
qui laudabilem in se probis moribus vi:
tam esse monstraverint, qui docendi pe:
ritiam, facundiam, dicendi interpretan:

di subtilitatem copiamq; disserendi se ha:
bere patefecerint et cœtu amplissimo judi:
cante digni fuerint æstimati et qui in super
sedula cum diligentia per annos decem
continuos, vel aliqua ex causa legitima
disruptos (nisi cum aliquibus dispensa:
tum fuerit:) pro præmio laboris laurea
Doctorali laboraverint. Convenit enim
tribui præmia benemerentibus l. Et virtu:
tum C. de Statuis et Imaginibus.

STATUTUM XLII.

De Proscribilitate Professorum ad ob:tinendum Doctoratum concurenti:um.

Quoniam jura ad ea se adaptant, quæ
frequenter, quàm ad ea, quæ raro eveni:
unt. l. nam ad ea ff. de Legib. Senat. Con:
sult. jam verò in nostra Universitate sæ:

pesæpiùs evenit Professorem primogenitu-
ra in Universitate posteriorem, priore pri-
mogenitura labores Juridicos citiùs incho-
âsse exindeq; ad Doctoratum in Facultate
obtinendum de praerogatiuitate et priorita
te loci contentiones et odia perpetua esse
vel posse esse: ideo statuitur illum semper
praeferibilem esse et locum priorem ad Do-
ctoratum in Facultate obtinendum de-
bere habere etiam primogenituraâ in Uni
versitate posteriorem, qui qualitates in
Statuto immediato praescriptas habue
rit, qui actu in Facultate legerit Andr.
de Barrulo. et Ioan. de Plat in l. 2 Cut
dignit. ordo servetur à Chassan. in Cata
log. glor. mund. part 10. Consid. 26. citat.
quem labor prolixior commendaverit
et alijs anteire fecerit. can. Miramur

I. penult. et fin. dist. 61. et Chassan. loc. cit. Consid. 27. qui Libros composuerit et in lucem publicam ediderit. Lucas de Penna in l. Mulieres C. de Dignitatib. et Chassan. ubi supr. Consid. 28. qui in jure excellentior fuerit. gloss in authen. de Monach. I. Ordinatione. v. Tempus. et Chassan. loc. cit. Consid. 30. alias in paribus meritis, laboribus et alijs qualitatibus, seniò et primogenituræ locum esse. Qui enim prior est tempore, potior est jure. c. Qui prior. de Reg. Jur. in 6.

STATUTUM XLIII.

De Tentamine Professoris intranei vel non.

Quamvis literaturæ et Scientiæ, cum naturaliter hominibus non insunt. Bald. in l. Ex persona. Col. 1. in fin. C. de Proba:

tionib. et glos. in c. Si forte. v. Scientiæ. de Elect. in 6. præsumi non possint, adeoq; jux. d. glos. v. Scientiæ per Tentamen seu Examen, probari debent. Quia tamen hocce Tentamen seu privatum Examen multis in locis remitti testatur. Resold. in suis Dissert. Cap. 8. pag. ll. 88. ibi: Et addit. ac Professores Utriusq; Juris ante Baccalaureatum ingrediendo Collegium, illud subire et publicam disputationem absolvere tenentur sicq; se habiles demonstrant, et alios docendo magis ac magis in jure proficiunt, seq; ad docendum ulteriùs magis idoneos reddunt, ideo statuitur præfatum Tentamen seu Examen privatum cum Professore actu legente ex rationibus allatis omitti posse et loco ejus publicam

Disputationem ex Utroq; Jure expo:
sitam Vesperiæ dictam sufficere ac in
illa Tentamen, quod est quid minus
contineri. Plus enim semper in se con:
tinet quod est minus. c. Plus semper.
de Reg. Jur. in 6. et l. In eo ff. e. t.

STATUTUM XLIV.

De Vesperijs in ordine ad Licentia turam obtinendam.

Quoniam consuetudo et ratio quæ con:
suetudinem suasit, tenenda est, can.
Consuetudo. dist 12. jam verò Vespe:
riæ seu publicæ Disputatio à vespe
ris peragi solita praxi et consuetudi
ne Superiorum Facultatum Univer:
sitatis Nostræ Theologiæ scilicet et
Juridicæ, ut meliùs Professor ad gra:
dum Doctoratûs promoveri intendens

probetur, sunt inducta: ideo statuitur, quatenus hujusmodi Vesperiæ (nisi ex rationabili causa aliter toti Universitati videbitur) nunquam omittantur, sed semper pro illis ex Utroq; Jure Quæstio deprompta publicæ disputationi exponatur ac pro illa oppugnanda admini: mum tribus diebus ante actum disputationis Doctores Facultatis invitentur. Post quam quidem disputationem expeditam Procancellarius in illa præsens ad Licentiaturam descendet dabitq; Facultatem Professori ipsam Lauream Doctoralem petendi et captato tempore opportuno obtinendi. Quod enim juris et æqualitatis ratio suadet, illud non est negandum, sed uni cuiq; tribuendum DD. in I. Juris præ:

cepta Instit. Imper. de Iust. et Iure.

STATUTUM XLV.

De Promotione Professoris Utriusq; Iuris ad Doctorandum

Quandoquidem Doctor jam est in gradu docendi, Licentiatus verò solùm in gradu Doctoratum assequendi. Roman. Consil. 333. n. 2. ibi: Quo ad primum. aut secundum Iason. ad l. Quamvis n. 3. de Inoffi. testamen. Licentiatum ad actum, non esse in Actu: ideo Licentiatus Professor: ut sit in gradu docendi et in actu Doctor, post obtentam in Utroq; Iure Licentiaturam curare debet Doctorari. Quod ut ipsi ad vota et desideria succedat, adibit officiosè Decanum Facultatis ab illoq; Convocationem Doctorum Facultatis fieri petet; in qua comparens intentionem suam

aperiet Promotorem eligi, et tempus Pro:
motioni suæ præfigi postulabit, ac cum au:
xilio Dei et speciali Doctorum gratiâ, nisi
rationabilis causa interveniat, obtinebit,.
Quare ad Lauream Doctoralem in Utroq
Jure sese præparando, pro promotione sui
futura, sive in Ecclesia Collegiata Sancto:
rum Omnium Cracoviæ, sive in Lectorio
CC. DD. Ictorum, peragatur, Oratorem u:
num ex Professoribus Utriusq Juris a:
ut alium ex gremio Universitatis pro O:
ratione, alterum ex Professoribus Juris pro
decisione Quæstionis per eum extraditæ
ac per Decanum Facultatis approbatæ
et per Magnificum Rectorem pro tem:
pore existentem recognitæ in actu ipsius
promotionis expedienda, invitabit, ipsiq
in decisione ejusdem Quæstionis et re:

sponsione ad argumenta oppugnanti:
um Doctorum ad hoc ad minimum tribus
diebus ante actum promotionis per se in
vitatorum assistet et eundem in praedicta
responsione tanquam sua propria et non
Professoris pro decisione invitati juvare
omnimodè allaborabit ut omnibus pa:
te fiat in publico, quòd honoris augmen
tum non ambitione, sed labore unicuiq;
contingit. l. Sancimus C. ad l. Juliam
repetundar.

STATUTUM XLVI.

De Mandato Rectorali pro Promotio ne extradendo.

Quia quod consuetum est, illud etiam
necessarium censetur esse. c. Ex parte de
Constit. ac disponente l. Ex illo ibi: more
expleto C. de apell. expleri et observari

debet. Cum itaq; circa promotiones in Uni:
versitate de more et consvetudine aliqua in
terveniant, eadem ad Doctoratum promo:
vendus observare tenetur et ad hoc presen
ti statuto adstringitur. Debet igitur Promo:
vendus Magnificum Rectorem adire, ab
illoq; Rectoralis mandati seu convocati
onis Doctorum, Magistrorum, Professo:
rum Baccalaureorum omnium Fa:
cultatum ut suae promotioni indecenti ha:
bitu academico assistant, seq; ad Eccles:
am Collegiatam Sanctorum omnium, si
ibi Promotio peragetur de more et con:
svetudine ex Collegio processionaliter de:
ducant et ad illud reducant, extraditio:
nem petere pro consolatione eorundem
florenos Polonicales Centum inter sala:
riatos duntaxat Professores dividendos

apud Procuratorem Universitatis re:
ponere, à mandato Magnifico Rectori
aureum unum Hungaricalem cum
effectu offerre et Doctores ac Professo:
res gremiales pro portione post Promo
tionem expeditam apponenda invita
re aliasq; solennitates de praedicta con:
suetudine servari solitas observare te:
netur. Nihil enim facile ex sollennitati
bus mutandum vel omittendum est.
l. Divus ff. de Restit in integr.

STATUTUM XLVII.

De Solennitatibus in ipsa Promotio one observandis

Siquidem ea natura sit solennium et
solennitatum ut dividi et separari neque:
ant. l. Cum antiquitas C. de Testamen.
ideo et in Promotione Doctoris Utriusq

Juris (: ne solennitates à promotione et promotio à solennitatibus dividatur et separetur) hæc de Consuetudine et: praxi non interrupta servari solita, in fu: turum servanda erunt. Et quidem, sive promotio in Ecclesia Collegiata Sanctorum Omnium Cracoviæ, sive in Lectorio CC. DD. Ictorum peragatur, tres Cathedræ propter Promotorem una, altera propter Professorem Quæstionem Juridicam de: cidentem à dextris et tertia propter Ora: torem à Sinistris Promotoris exstruen: tur et ornabuntur atq; suam quisq; a: scendens post collocationem Hospitum et invocationem Spiritus Sancti per An tiphon. Veni Sancte Spiritus cum ver: su et Collect. Promotor brevem præmit= tet Sermonem et Quæstionem Juridica-

Professori invitato ad deciendum committet, qua decisa, et disputatione ex ea peracta, is idem Promotor, iterum breviter interloquetur ac Oratio in laudem Jurisprudentiæ per Oratorem similiter invitatum habebitur. Hac finita denuò Promotor interloquetur ac Doctorando Professionem Fidei faciendam injunget; qui brevi Prophasi Doctoratûs Insignia petet ac facta statim post Prophasim suam Professione Fidei ad capessenda Doctoratûs Insignia per sæpefatum Promotorem invitabitur ac eadem ordine sequenti recipiet ad cujuslibet collationem Promotore S. V. S. interloquente

Ad Collationem Cathedræ Orthodoxæ Fidei scuto et galea salutis

præmunitus conscende hanc sublimem legitimæ sapientiæ Turrim ex qua mille Clypei pendent, et omnis armatura fortium, Cathedram nempe Doctoralem ut ex illa legum et Canonum contemptores, sacrarum Constitutionum violatores Ecclesiasticarum immunitatum invasores; de sublimo ad ima facilius deprimere et ab alto fortius deturbare queas. Occupa locum supremi in Utroq; Jure honoris eminentissimum, sed quomodo in illo sedere debeas, aurei Doctoris effatum, in can: Multi Sacerdotes. dist. 40. relatum Tibi in memoriam revoco: Videte (inquit textus) quomodo sedetis super Cathedram; quia non Cathedra facit Sacerdotem aut Doctorem sed Doctor Cathedram. Qui bene sederit super Cathedram honorem acci:

pit ab illa, qui male sederit injuriam fa:
cit Cathedræ. Sede igitur NN. Utriusq;
Juris Licentiate in hac Doctorum Sede,
sed tam bene sede, ut ad jura dicenda
vocatus, injuriam non facias sedi, In:
de enim injuriæ nasci non debent, un:
de jura procedunt. l. Meminerint. C.
Unde vi.

Bireti

Altiorem purpurâ decoratus conscen:
disti locum Illustris Utriusq; Juris Li:
centiate ut in illo meritis et virtutibus or:
natus eminentior appareres, eruditarum
mentium insigne decus, frontis sudo:
rifera coronamentum doctis tempori:
bus debitum tibi præsento. Color ejus ni:
ger noctium umbris non absimilis, te Do
ctorem Utriusq; Juris monet, ut non pri:

us cum Baldo de jure interrogatus respondeas, antequam noctem unam et alteram enodandis difficultatibus dederis et eandem ad Cleantis Lucernam consumpseris qui ex l. Pupillus ff. Quæ in fraudem Creditor. didicisti jura vigilantibus, non dormientibus scripta. Forma ejus superne quadrata, inferne rotunda, indicat, et perfectionem omnium virtutum et Doctorem in jure debere esse quadratum, hoc est stabilem, nec prece nec pretio amore aut odio in partes alterius Colligitantis propensum. can. Episcopus I Si ergo 11. q. 3. Hoc igitur Doctoralis honoris Insigne tuo impono Capiti, ut rotunditate et quadratura illius contectus, præcipitantiam, quæ per Clemen. Pastoralis. de senten. et re ju

dicat noverca justitiæ apellatur, in omni:
bus evites causis, qui nosti, Judicantem o:
portere cuncta rimari et ordinem rerum
plena inquisitione discutere. can Ju:
dicantem 30. q. 5.

Libri

Ne tibi in decidendis præcipuè arduis
negotijs cespitare aliquando contingat,
Liber Magister optimus consulendus,
Mutus quidem est: sed bene loqui, bene
consulere docet, sed studium, sed scien:
tia et exercitium Studij sine illo juxc.
Exijt I. In alio. de Verbor. Significat. in o.
convenienter haberi et obtineri non potest.
Trado hunc clausum, ut exinde Docto:
ris pectus scias esse eruditionis gazophi
latium ad decidendos casus maximè
notorios apertissimum. et Prælatos ac

Doctores debere Libris semper insistere ne tunc discere quærant; cum ex officio suo alios docere debeant. can. Qui Ecclesiasticis. I. Hinc etiam veteres dist 36. Trado apertum ut discas inter judicandum nudis non debere deferre allegatis, sed quod Patrum decretis, sacrorum canonum statutis ad mentem c. Ne innitaris de Constit. sancitum est. Doctor etenim sine lege loquens (ut jam dixi) erubescere debet, multo magis sine ratione, quæ est anima legis. l. Cum ratio ff. de Bonis damnator.

Annuli

Stetisti jam Mytra et Libro insignitus in novo solo Cathedra Doctorali Illustris Utriusq; Juris Licentiate, stetisti in tua germinationis campo. Ut fa-

cundiùs in illo germinare possis. Calum
sub figura annuli præsto habes. Gem:
mam in medio ejus instar Solis illustrem
cernis, te Doctorem talem exhibere o:
mnibus debes, ut lumen Mundi di:
ci et esse possit. can. Sacerdotes. dist. 93.
Hoc igitur pretiosissimo arrabone despon:
so te Inclytæ Facultati Juridicæ, ut
inhærendo can. Nostrates. 30. q. 5. ab:
hinc nostras dicaris sisq; cultor perpe:
tuus Justitiæ annulo subarratus.

Osculi pacis.

Pacis tandem osculum sibi præbeo, ut
in pace vivens Doctor Doctorum Docto:
rem supremum Christum imiteris, qui
veniens in hunc Mundum docuit pa
cem dedit pacem reliquit pacem. can.
Nisi bella 23. q. 1.

Creatio.

Atq; jam quod superest ad complemen: tum actûs præsentis invocato Dei Omni: potentis Nomine, à quo jux. gloss. Pro: œm. Instit. Imper. v. Jesu Christi. Bonum initium meliùs medium et optimus finis sequitur, authoritate Vicariæ Dei in terris potestatis, Sum: mi Ecclesiæ militantis Pastoris, autho ritate legum et privilegiorum à polen: tissimis et invictissimis Poloniarum Regibus totaq; Serenissima Repu: blica Polona Nostræ Universitati gra: tiosè concessorum ac per Sanctam Se: dem Apostolicam approbatorum Au: thoritate Facultatis Juridicæ et mea quâ interim fungor, ego te Utriusq; Ju: ris Doctorem creo, creatum clara voce

renuntio dans tibi facultatem quoslibet in Jure Authores Classicos, ab Ecclesia Dei receptos et approbatos legendi, de Jure respondendi, glossandi, declarandi, interpretandi, Quæstiones determinandi, disputandi, publicè docendi hic et ubiq; locorum in Nomine Patris et Filij et Spiritus Sancti Amen.

Qui unus solus est verus Deus Æternus immensus et incommutabilis, incomprehensibilis Omnipotens et ineffabilis Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Tres quidem Personæ, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino c. Firmiter de Summ. Trinitat.

Cui sit
Laus Honor et Gloria.